

PRAEFATIO.

iam ad ea, quae ipsum libellum spectant. Secutus sum ea principia, quae GVNDLINGIO, TREVERO, GERHARDO et nostra aetate Dumuiris in Iurisprudentia naturali PVTTERO et ACHENWALLO placuerunt. Nec dubito fore, qui me reprehendant maxime, qui vel in Grotii verba iurarunt, vel qui omnia, siue sint perfectae, siue imperfectae obligationes, commiscent, omniaque, quae vel aliquo modo per rationis dictamen cognoscuntur, ad caput iustitiae naturalis referunt. Sed hi suo delectentur ingenio. Mihi nulla adest causa, quae defendam philosophum, qui a communi dicendi formula recedit, eaque, quae virtutis vitiique nomine compellantur, iusto iniustoque adscribere intendit. Discedendum putavi cum Gerhardo ab iis, qui theologiam et philosophiam moralem cum nostra disciplina confundunt vel saltem miscent, cum haec conjunctio usui fori maximopere repugnet. Non fuit ani-